

B

154

~~100~~
100

U. q. 17, 2

Adfulgente Iustitiæ Sole

De Substitutionibus,

Disputatio Secunda

PUPILLAREM Continens

Quam

Dⁿ. LEOPOLDVS HAKEL-

MAN I. U. D. & Facultatis Iuridicæ

Ordinarius, &c.

Ad

Diem Februarij 20.

Anniversariæ disputationis loco proponit,

RESPONDENTE

SIMONE IHON Lipsiense.

In Atrio Ictorum hora 7. matutin. & seqq.



L I P S I Æ

Exscribat LAURENTIUS COBER.

ANNO

M. DC. XVII.



Abfolgende Jurisconsulte

De Substitutionibus

PUBLI L. A. R. E. M. C. O. M. P. A. N. I. S.

Dr. LEOPOLDVS HAKEL

MAN. I. U. D. & Facultatis Juridicae

Ordinarius, &c.

Die 17. Februarj 1777.

Anniversarie disputationis loco proponit

RESPONDET

SIMONE THON Lipsiensis.

In Aedibus Haerem hinc 7. Martij 1777.

Excelsioris Haerem hinc 7. Martij 1777.

LIPSIÆ

Excelsioris Haerem hinc 7. Martij 1777.

MDCC

MDCC XVII





CONTINUATIO.

Um superiori disputatione generalia substitutionum & in specie de vulgari methodicè tractavimus, nunc eodem filo de pupillari videbimus, secundum ordinem Instit. & tit. Cod. de Impub. & aliis substit. & passim ff. tor.

DISQUISITIO I.

Dicitur igitur pupillaris substitutio, quæ fit liberis (a) Et est vel verè pupillaris, vel quasi pupillaris. (b)

(a) Propter textum in pr. Inst. hic l. 2. ff. eodem junctâ l. humanitatis 9. C. de Impub. & aliis substit. §. qua ratione 1. Inst. d. t. Et pupillus est, qui cum impubes est, desit in patris potestate esse, aut morte aut emancipatione l. 239. in pr. dr. V. s. Et abusus est vocis, si quis eum, qui in patris potestate est, appellet pupillum l. fin. de V. O. l. 4. C. de necess. servis hered. instit.

(b) dd. textib. & quasi pupillaris est introducta ad exemplum pupillaris d. §. qua ratione & d. l. humanitatis.

II.

Pupillaris verè ita nominata describitur à nostris, quod fit pupillis (a) (quæ & impuberis dicta) tantum

tantum in sacris constitutis; Dd. ad rubr. C. d. t.

(a) Antequàm in suam tutelam venerint, quod in masculis 14. in
fœminis 12. sit anno text. §. pen. Inst. hęc. l. moribus 2. l. verbis civilibus 7.
de vulgari & pup. subst.

III.

Hoc substitutionis genus moribus est intro-
ductum (a) non quidem Lacedæmoniorum, ut
communis est opinio (b) sed populi Romani. (c)
Occasionem præbuit favor pupilli, qui cum pro-
pter ætatem testamentum sibi facere non potuit
(d) parens, qui optimè censetur prospicere velle
suis liberis, (e) testamentum condit.

(a) l. More nostræ civitatis 8. de acquir. hereditate: vel Jure
non scripto §. sine scripto 9. Inst. de I. n. g. & C.

(b) Trentacinq. part. 2. c. 1. n. 3. Intrigl. cent. 1. q. 59. Quæ enim
à Lacedæmoniis sunt desumpta, & ll. 12. tabularum comprehensa Juris scri-
pti esse censentur. Diss. Gomez. var. resol. c. 4. tom. 1. n. 1.

(c) Cujus pop. Jus simpliciter prolatum intelligitur §. 2. I. de Jure
nat. g. & c.

(d) l. à qua ætate 5. Qui testamenta facere poss. l. si pupillus 42. de
acquir. heredit.

(e) l. fin. C. de curat. furios.

IV.

Et sicut vulgaris dividitur in expressam & ta-
citam; Ita & Pupillaris. (a) Illa est, quæ verbis
ipsius testatoris vel generalibus vel specialibus si-
gnificatur; hæc, quæ sub vulgari expressa ex vero-
simili intentione testatoris (b) colligitur.

(a) l.

(a) l. Jam hoc Jure 4. de vulgari & pupill. substit. & ibi Dd. veluti si testator dixit: Si filius meus intra pubertatem decesserit; Titius ei sit heres, vel Titium ei substituo: vel si filius meus heres erit, & in pupillari etate decesserit, substituo ei Titium, text. in pr. Inst. hic.

(b) Ut quando testator filium suum impuberem in potestate constitutum sibi heredem scripserit, deinde dixerit, si filius meus heres non erit, Titius sit mihi heres: hæc formula quamvis vulgarem substitutionem inducit, text. in pr. l. de vulgari subst. tamen ex præsumpta patris mente, si post aditionem intra pupillarem etatem moritur, locus fit substitutioni d. l. Jam hoc Jure l. Quamvis 4. C. de Impub. & aliis substit.

V.

Pupillariter substituere potest pater, qui liberos in sua potestate habet (a) etiamsi pauper vel turpis sit, (b) dummodo ipsi testamenti factio adempta non est, (c) ut in Usurariis, (d) In reis Majestatis læsæ (e) hæreticis (f) & similibus.

(a) §. 1. l. hic. Intrigl. q. 66. n. 9.

(b) Ut habet Intrigl. q. 78. n. 20. ubi comm. dicit, ideoq; huc adducimus l. si de interpretatione 37. cum l. seq. illiq; adjungimus l. neq; leges 10. cum duab. seqq. de legibus Grassus q. 23. n. 2. hic Gomez, variar. resol. c. 5. n. 16. Trentacinq. part. 2. c. 14. n. 10. Intrigl. q. 82.

(c) l. Is cui 18. Qui testam. fac. poss. Quando enim sibi testari non poterit, quomodo impuberi ultimum Elogium ritè condet?

(d) c. Quamquam de Usuris in 6. l. Improbum fœnus 20. C. ex quibus caus. infam. irrog.

(e) Auth. Bona damnatorum C. de bonis proscriptorum sumpta ex Novell. 134. c. ult.

(f) c. vergentis de hæreticis l. cognovimus 19. C. eodem Petr. Gregor. Tholosan. c. 22. n. 34.

VI.

Et hæc conditio parentum consideratur non

A 3

tam

tam momento substitutionis factæ, (a) sed potissimum mortis testatoris tempore. (b)

(a) Sicut arguunt ex §. In extraneis 4. l. de hered. qual. & diff. l. si alienum 49. §. In extraneis de hered. instit. & l. Quæ ab initio 210. de R. I. l. coheredes 41. §. cum filia 2. ibi: si quis ex his mortis tempore hic.

(b) l. 2. in pr. versic. sed si extraneum hic Grass. q. 23. n. 5. ubi dicit, hanc esse communem & in practica obtinere: Trentacinq. c. 9. n. 2. vers. Ex supr. dictis.

VII.

Proinde Mater, quæ liberos in potestate non habet (a) non potest pupillariter substituere: Etiam si ex statuto liberos in potestate haberet. (b)

(a) §. fœmina 10. l. de adopt. Bart. & comm. Dd. in d. l. 2. Grass. in §. substitutio q. 23. n. 1. Cujac. ad Afric. tr. 2. fol. 29. Explicat l. si mater 33. hic.

(b) arg. l. Rem in presenti §. & cum lex 15. ibi: ne fragilitate nature suæ in repentinam deducatur inopiam C. de rei uxor. act. l. 1. C. de bonis matern. §. fin. Inst. de tutel. l. pater 4. ibi, mater autem, & ibi, sed & inquiri. de testam. tutel. l. mulier 2. de confirm. tutor. Quia leges magis confidunt maritis, quàm fœminis, & statuta sunt stricti Juris c. cum dilecti §. fin. de Rescript. VVesemb. conf. 5. n. 43. Hartmann. Pistor. 1. q. 3. n. 27. & seqq. In primis quando sunt correctoria Juris civilis Dan. Moller. in Semestr. c. 3. lib. 1.

VIII.

Et fit liberis testatoris in potestate patris constitutis (a) Impuberibus (b) tam natis quàm nascituris (c) etiam arrogato (d) non tamen in omnibus bonis, sed in iis saltem, quæ ab arrogatore habuit. (e)

(a) l. 2. ibi: liberis hic.

(b) d. l.

(b) d. l. 2. & in pr. l. hīc. Et magis habetur ratio temporis, in quod confertur, quā quo fit substitutio Vult. n. 1. in pr. Inst. hīc.

(c) arg. l. Qui in utero de statu homin. §. 1. I. de Ingenuis. l. pregnantis 3. junct. gl. de poenis l. Quod dicimus 231. de V. S. Schneidew. in §. permissum n. 15. I. de tutel. Pac. in concil. leg. de statu homin. q. 23.

(d) l. sed si plures 10. §. In arrogato 6. hīc l. si arrogator 22. de adoption.

(e) Quae enim bona habet ante arrogationem ad proximos agnatos recidunt l. 18. de adoption. §. non solum 4. Inst. hīc.

I X.

In adoptivo distinguitur; aut enim adoptatur à conjuncta persona & transit in ejus potestatem; & illi rectè substituitur; si verò ab extraneo adoptatur, manet in patris naturalis potestate, ideoq; ut in adrogato cum illo proceditur.

l. cum in adoptivis 10. C. de adoption.

X.

Fieri etiam potest substitutio exheredatis, (a) præteritis autem facta etsi secundum leges Pandectarum & Instit. ipso Jure nulla est (b) tamen per Novellam constitutionem ex causa exheredationis vel præteritionis irritum est testamentum, quantum ad institutiones, cætera verò firma permanent. (c)

(a) l. 1. §. 2. & l. sed si plures 10. §. 5. ad substitutos hīc. §. non solum Inst. hīc Duaren. c. 7.

(b) l. antepen. de liberis & posthum. d. l. 2. vers. nam si principale & §. adeo.

(c) Novell. 115. & Auth. inde desumpta ex causa C. de liberis præteritis

teritis & facit l. si quis 33. §. 1. C. de inoff. testam. Et cum cause exheredationis expresse in d. Novell. 115. in infantem & impuberem non cadant, dicit Mynsing. in §. posth. n. 7. I. de exhered. liber, quod veritas sit impuberem exheredari non posse; quam sententiam Dd. exaudiunt, nisi doli capax sit l. pupillum 111. ubi Decius de R.I. l. Excipiuntur 14. ad Sc. Syllan. quod Menoch. arbitrio iudicis committit cas. 57. n. 40. cent. 1. arbitr. quest.

X I.

Quos verò pater in potestate non habet, his substitutio præsens fieri (a) nequit: ut naturalibus tantum, nisi legitimatis, vel per subsequens matrimonium (b) etiamsi fiat in Mortis articulo: (c) non post mortem patris, per rescriptum Principis, (d) spurio quoque substitui non poterit. (e)

(a) arg. §. 1. I. de patria potest. §. fin. Inst. de nupt. l. Lucius 45. hic. Petr. Gregor. Tholos. c. 22. n. 5.

(b) §. 1. Inst. de heredit. que ab intest. l. Divi Constantini 5. C. de natur. libr. Novell. Quib. modis natur. eff. sui §. si quis igitur dot alia.

(c) Borchold. de gradibus mihi fol. 187. 193. ubi contraria resolvit.

(d) Deest enim necessarium patris requisitum l. ult. de natalib. restit. Vult. de feud. lib. 1. c. 9. n. 94. & quia heredibus legitimis jus quæsitum auferri nequit l. id quod nostrum 11. de R. Jur. Trentacinq. hic q. 9. n. 3. Intrigl. q. 68. ex comm. sent. Dd.

(e) Quia non ita privilegiati ut naturales tt. de concubinis.

X I I.

Utrum puberi facta, an in vim fideicommissi valeat, inter Dd. non convenit, & theorica veritate inspecta non valere arbitror (a) nisi ex circumstantiis aliud appareat, tum enim in vim fideicommissi valere potest, ne ultima testatoris voluntas everta-

evertatur, ut si clausula codicillaris, vel ut omni
meliori modo valeat, vel similis, adjecta sit testa-
mento. (b)

(a) text. in pr. & §. fin. l. hic l. 7. ibi, frustra, arg. l. si servus lega-
tus 108. §. si servus alienus 9. de legat. 1. arg. l. ususfr. cum moriar. 5. de
Usufr. legato; ubi stipulatio ususfructus cum moriar non valet per §. finitur
3. l. de Usufr. l. si Titio in quibusdam est §. 4. l. si fundum 92. §. fin. cum l.
seq. ubi si pubes factus decesserit, evanescit fideicommissum de legatis 1. Me-
noch. lib. 4. presump. 42. n. 9. Trentacinq. d. p. 2. c. 10. n. 9. Intrigl. q.
65. ubi sic omnes tenere ait. Cujac. 11. observ. 25. Anton. Faber 15. conject.
12. Vaud. 2. q. 12.

(b) l. Quoties 98. de R. I. arg. l. si tam angusti 13. de servitut. & fa-
cit text. in pr. & §. fin. de codicill. & huc accommodari potest l. Scavola
76. ad Trebell. c. si pater de testament. in 6. ibi, quanquam directè inter-
dum, unde colligitur, quod regula sit in Contrarium. Trentacinq. c. 10.
in fin.

XIII.

Unde & hæc quæstio resultat, si statuto ca-
veatur, quod minor 25. annis non possit testari:
nùm pater filio puberi ante illam ætatem pupilla-
riter substituere possit: Et quamvis multi in affir-
mativam non levibus rationibus ducti concedant,
negativam tamen uti communem ita quoque de
Jure veriolem arbitror.

Et hanc sententiam sequuntur Bart. Alexand. & alij, & post illos
Petr Gregor. Tholosan. d. loco n. 13.

XIV.

Substituit pater non modò in bonis, quæ ac-
cepit ab ipso, sed etiam in bonis pupilli aliunde

B

quæ-

quæsitis (a) ut in adventitiis (b) & vel in omnibus,
vel in aliqua re; siquidem particularis substitutio
ad reliqua bona trahitur (c) excepto arrogato. (d)

(a) §. 1. Inst. hîc l. sed si plures 10. §. ad substitutos 5. hîc l. si ita
scriptum 8. §. Qui filio 1. de bonor. poss. secund. tab.

(b) §. 1. Novell. ut liceat matri vel avie. 117.

(c) l. coheredi 41. §. fin. hîc ne pro parte testatus pro parte intestatus
l. Jus nostrum de R. 7.

(d) d. l. si plures §. In arrogato 6. hîc & supr. Thes. 8. Petr. Gregor.
Tholosan. c. 18. n. 4. Gomez. var. resol. c. 4. n. 6. d. tom. 1.

XV.

Sed & in legitima impuberi potest fieri sub-
stitutio, (a) quamvis ea fideicommissio non possit
gravari. (b)

(a) l. Ex tribus 26. C. de inoffic. testam. l. quod fideicommissum 93.
de legat. 1. Vacon. à Vacuna lib. 4. declarat. 64.

(b) l. Quoniam in priorib. 32. C. de inoffic. testam. d. l. coheredi §
cùm filio 3. vers. nec fideicommissio hîc. Julius clar. lib. 3. sentent. in verb.
Testament. c. 72. Gail. lib. 2. observ. 119. n. 2.

XVI.

Requiritur ad validitatem pupillaris substitu-
tionis, quod ille, cui fit substitutio, sit filius, filia,
nepos vel neptis, vel ex descendantibus: deinde
quod sit in potestate: tertio quod sit impubes (a)
& substituti fiat mentio explicitè vel implicitè;
Quarto, quod post mortem testatoris non sit reca-
surus in potestatem alterius: Quinto quod institu-
tus, vel exheredatus; Ultimo quod adeatur here-
ditas ex testamento paterno. (b)

(a) Ut

(a) *Ut ex thesibus precedentibus liquet & l. 2. hic.*
(b) *text. in pr. Inst. hic.*

XVII.

Et in genere omnis substitutio præsupponit institutionem (a) quamvis tamen inversio ordinis in uno contextu facta, non vitiat actum, (b) secus si ex intervallo.

(a) *l. 2. §. quisquis 1. & §. prius 4. hic & §. liberis 5. Inst. eod. l. 38. qui plures in fin. hic. l. pen. Quemadmod. testam. aperiant. Duaren. c. 14. hic l. cum principale de R. 1.*

(b) *l. 3. §. ante heredis 3. de liberis & posth. l. 1. l. quo loco 20. de heredibus instit. §. ante heredis 34. I. de legatis.*

XVIII.

Et cum imperfectum testamentum patris inter liberos admittitur, (a) Quæritur, an quoque substitutio in tali testamento valeat? Et hic cum Dd. distinguendum putamus, quod aut unus ex liberis est substitutus, aut extraneus: si prius, substitutio eodem cum testamento principali fruitur Jure: (b) si posterius, substitutio corrumpitur. (c)

(a) *l. hac Consultissima 21. §. Ex imperfecto C. de Testament.*

(b) *dd. textibus c. accessorium de R. I. in 6.*

(c) *d. §. Ex imperfecto ibi, eam voluntatem, quoad extraneam personam admixtam pro nulla haberi. Et Grass. q. 24. dicit Communem & Zasius n. 16. veritatem, Trentacinq. c. 13. n. 3. vers. & cum superior. In-trigl. q. 75. Et valet testamentum inter liberos non ratione extraneorum Hartm. Pistor. 1. q. 1.*

XIX.

Quoad effectum pupillaris substitutionis sub

B 2

expres-

expressa continetur tacita vulgaris (a) unde hæc
quæstio existit: Utrum pupillari substitutione fa-
cta, mortuoq; pupillo vivo testatore, saltem ex ta-
cita vulgari Testamentum confirmetur, ut substi-
tutus possit admitti? Et quamvis Zasius Dd. in
hac quæstione ita variare dicat, ut facilius sit Nili
originem invenire, quam hujus quæstionis deci-
sionem indagare: Et Bartol. (b) distinguat, an
diu pater supervixerit nec ne: Nostamen Accursij
sententiam hoc casu quod ex tacita vulgari testa-
mentum valeat, ac proinde substitutus sit admit-
tendus, esse veriore existimamus. (c) Non idem
obtinet in vulgari expressa: Illa enim per tacitam
non idem operatur. (d)

(a) l. 2. hinc l. Quamvis 4. l. precibus 8. C. de impuber. & aliis substit.
Nisi pupillus ante aditam litem moriatur.

(b) in l. 1. hinc.

(c) l. Quod si filius 11. de captiv. & postlim. revers. l. Thais ancilla
41. l. Spendophorus 16. ff. de fideicomm. libertat. Accurs. in l. Lex Cornelia
28. verb. non existimo de vulg. & pupill. substit.

(d) Quia absurdum videtur, ut unde finem accipit vulgaris substitutio,
nempe ab adita hereditate, inde initium sumat.

XX.

Sed & hæc quæstio moveri solet utrum si pu-
pillaris substitutio facta sit posthumo, isque non
nascatur, substitutus, saltem ex tacita vulgari ad-
mittatur; Et sicut hæc quæstio vetustissima est (a)
ita & hodie inter Dd. nostros adhuc de ea non con-
venit,

venit, (b) nos communem Dd. sententiam, quàm
& Impp. probârunt in l. Jam hoc Jure h. t. tue-
bimur, (c)

(a) *Quæ questio etiam Ciceronis tempore fuit agitata lib. 1. de Ora-
tore, & fuit disidium inter L. Crassum & Mutium Scævola. Viglius in
Inst. h. t. Scævola sententiam defendit, aliq. distinctione utuntur.*

(b) *Bart. in l. 1. n. 33. h. t. distinguit; quod si paulò ante, aut paulò
post mortem spes substitutionum defecit, substitutum admitti non si defecit
diu ante; Et Bartolum sequuntur, quos refert Trentacinq. de substitution.
p. 1. c. 10. n. 22.*

(c) *Et probatur l. penult. C. de instit. & substit. ubi vulgaris ex-
pressa si non nascatur posthumus, pupillarem comprehendit: non malè igitur
dicitur eo casu etiam tacitam vulgarem contineri d. l. Jam hoc Jure.*

X X I.

Secundò, In hac substitutione per pupillarem
pupillo in omnibus bonis undecunque quæsitis
succeditur, tam in propriis pupilli instituti, quàm
parentis. (a) Etiam si facta sit in re certa (b) & in
legitima, vel in bonis pupilli sine decreto aliena-
tis, (c) habet quoque substitutus idem Jus, quod
pupillus in beneficio restitutionis in integrum.
(d) Si verò pupillus abstinuit se ab hereditate pa-
terna, poterit substitutus adire solam pupillarem,
& securus erit à creditoribus paternis, (e)

(a) *l. sed si plures 10. §. filio impuberi 2. hinc Grass. q. 29. n. 2. Tren-
tacinq. c. 5. Intrigl. q. 89. n. 1. add. l. Jus nostrum de R. I. Nec potest sub-
stitutus repudiare hereditatem paternam, & adsumere impuberis.*

(b) *Nilominus enim trahitur substitutio ad omnia ipsius pupilli
bona per l. coheredi 42. §. fin. hinc. Myns. in §. vel singulis 6. l. hinc, Etiam in
legitima l. si fundum per fideicommissum 92. §. 1. & §. 2. de legatis 1.*

B 3

(c) l. 1.

(c) l. 1. §. sed nonnullos, in versic. aut substitutum de tutel. & rat. distrah. à contrario sensu Intrigl. q. 89. n. 30.

(d) Trentacinq. c. 18. n. 2.

(e) l. Paterfamilias 13. de privileg. credit.

XXII.

Tertius effectus, quod non modò expressa, sed etiam tacita matrem & alios adscendentes, quos ipse filius præterire non potest, excludit, etiam rigore Juris civilis considerato à legitima: (a) Et hanc sententiam confirmavit Sereniss. Elector Augustus: nisi quod legitimam matri præteritæ in omni casu adsignet. (b)

(a) l. precibus 8. C. de impuber. & aliis substit. l. Papinianus 8. §. sed neq. impuberis. de inoffic. testam. d. l. sed si plures 10. §. ad substitutos, & §. 1. Inst. hic, ubi pupillaris fit, sicut vulgaris, que excludit matrem, & testamentum filij est testamentum patris l. patris & filij 20. hic. Dauth. de substitut. fol. 647. ubi multas Dd. autoritates cumulavit. Gomez. tit. 1. c. 4. n. 26. Chifflet. cap. 15. Intrigl. q. 39. n. 1. & q. 43. Cujac. lib. 11. observ. 25. & lib. 12. c. 27.

(b) Tit. 8. part. 3. in constit.

XXIII.

Et si pater duobus filiis impuberibus hereditibus institutis Cajum substituisset, sive simpliciter, si filij impuberes decesserint, vel si uterque vitam cum morte commutasset, substitutus ad successionem non admittetur, si non uterque sed alteruter duntaxat in hac ætate moreretur.

l. pen. C. de impub. & aliis subst. Ratio desumi potest ex §. pen. 1. de hered.

hered. instit. l. Qui heredi 44. de condit. & demonstr. Anton. Faber 13.
conject. cap. 19. in fin.

XXIV.

Tandem legata, & prælegata filio impuberi
relicta censentur repetita à substituto pupillariter
(a) Spes autem substitutionis substituto mortuo
ad heredes non transmittitur. (b)

(a) Menoch. lib. 4. præsumt. part. 2. præsumt. 195. n. 2. Intrigl. q.
99. n. 100. cent. 1.

(b) d. l. sed si plures 10. hinc l. un. §. sin autem sub conditione C. de
caducis tollend. Gomez, d. c. 4. n. 15. Intrigl. q. 98. n. 10.

XXV.

Extinguitur hæc substitutio vel ex persona te-
statoris vel pupilli cui facta est, vel ipsius substituti.
Ex persona testatoris, quando parens, qui fecit pu-
pillare testamentum, est deportatus, vel aliam ca-
pitis diminutionem passus est, qua civitatem per-
didit, (a) vel quando fecerit aliud testamentum,
(b) vel testatoris hereditas adita non sit, (c) vel te-
stamentum agnatione posthumi ruptum sit, (d)
vel etiam per agnationem civilem, puta adoptio-
nem & arrogationem. (e)

(a) l. si quis filio 6. §. irritum 5. de injusto rupto irrit. nisi ex L. Cor-
nelia restitutus l. Lex Cornelia 28. hinc l. 1. de captiv. & postlimin. revers.

(b) l. si quis eum 16. §. fin. hinc.

(c) l. 2. hinc l. si nemo 118. de reg. Juris.

(d) l. si pater filium 26. hinc l. 1. in fin. l. 3. in princ. de injusto rupto,
text. in fin. pr. I. Quibus modis testam. infirmentur. Nec locus est substitu-
to, quia testamentum in totum rumpitur l. posthumus 12. in pr. de injusto
rupt. nisi natus in vita testatoris rursus decedat. (e) text.

(e) text. I. Quib. mod. testam. infirm. l. cum in adoptivis §. sed ne
articulum. 1. C. de adoption.

XXVI.

Cæterùm per querelam inofficiosi rupto te-
stamento, si totum corrumpitur, pupillaris extinguitur.
(a) Quando verò per bonorum possessionem con-
tra tabulas ultimum defuncti Elogium infringi-
tur, conservatur pupillaris substitutio, secundum
communem Interpretum nostrorum sententiam,
quàm & nos sequimur. (b) Quod & in Auth. ex
causa C. de liberis præterit. & Novella unda sum-
ta (c) obtinet.

(a) Dd. per l. Papinianus §. sed neq. impuberis. de inoffic. testam.
quia deficit nomen heredis §. liberis 5. I. hic.

(b) l. patris & filij 20. l. ex duobus 34. §. fin. cum l. seq. hic. Ratio-
nes vide apud Grass. in §. substitutio q. 26. n. 4. Trentacinq. p. 2. c. 14. n. 3.
Intrigl. q. 76. n. 1. cent. 1.

(c) Trentacinq. d. c. 14. n. 11. Intrigl. q. 80. quod etiam in tacita
pupillari verum est: Petr. Gregor. Tholos. c. 20. Gomez, 1. var. resolut. c. 4.
n. 4. diff. Cujac. in l. filio 17. de injusto rupt. irrit. Et ante eum Alciatus
lib. 4. parerg. c. 9.

XXVII.

Ex persona pupilli expirat adveniente puber-
tate (a) vel quando impubes in sacris patris de-
mortuus (b) vel in vita patris de potestate exierit,
(c) vel post ejus obitum in alterius potestatem re-
ciderit, (d) vel aliquam capitis diminutionem
passus sit, (e) vel alia conditio extrinseca defece-
rit. (f)

(a) §.

(a) §. masculino igitur 8. l. hic d. l. moribus l. verbis civilibus l. in pupillari 14. l. Ex facto 43. hic. Quod in masculis fit 14. in foeminis 12. anno text. in pr. Inst. Quib. mod. tutel. finit. l. fin. C. Quando tutores vel curat. ess. defin. nec hoc tempus testator prorogare potest. l. si ita quis substituerit 21. l. qui plures liberos 38. hic §. masculino 8. I hic l. precibus 8. C. de Impub. & al. subst. si vero pater extenderit substitutionem ultra pubertatem, quo ad legitimum tempus valet, ne utile per inutile vitietur. c. utile de reg. Juris in 6.

(b) l. Lex Cornelia 28. junct. l. si pater 29. hic. l. nec ei permittitur 17. §. 1. ibi, ne esset in potestate & c. de adoption. l. pater instituto puberi 10. l. Quod si filius 14. in pr. de captiv. & postlim. revers. Anton. Faber lib. 10. conject. c. 4.

(c) l. coheredi 41. §. cum filia hic.

(d) l. 2. hic.

(e) d. l. Qui plures 38. hic Trentacinq. 1. 12. & c. ult. n. 3. versic. septimo.

(f) l. qui liberis 8. in pr. eod. Intrigl. q. 98. cent. 1.

XXVIII.

Denique solvitur, quando substitutus tempore mortis, hereditatis capax non est (a) vel si ante pupillum moritur, non transmittit substitutionem. (b)

(a) l. si is qui heres 11. eodem, ut si impuberi naturalis filius est substitutus l. si is qui bonis 6. hic.

(b) Ut dictum supr. th. 24. lit. b.

Et tantum de pupillari substitutione, proprie sic dicta.

XXIX.

Sequitur quasi pupillaris, quam exemplarem nostri, rectius Justinianeam vel legitimam vocant. (a) Et describitur, quod sit substitutio, qua

C

paren-

parentes liberis suis furore, dementiâ, aut simili vitio testamenta facere prohibitis, (b) heredem substituunt.

(a) *Cujus fundamentum deprehendimus in §. qua ratione 1. 1. hîc l. humanitatis 9. C. eodem Duaren. hîc & lib. 2. disp. c. 7. Nominis enim impositio est arbitraria, Paul. Leonius n. 7. Et commoditati loquendi aliquid indulgendum Vigl. 1. hîc n. 1.*

(b) *Cujuscunq; gradus vel etatis dd. ll.*

XXX.

Hanc Justinianus humanitatis intuitu singulariter introduxit (a) cùm antea privilegij vice impetrabatur, (b) & tantum duo genera substitutionum extabant. (c)

(a) *dd. textibus §. qua ratione, ibi: etiam constitutionem posuimus d. l. humanitatis ibi, parentibus indulgemus.*

(b) *l. Ex facto 43. hîc.*

(c) *tit. ff. arum. de vulgar. & pup. sub. & in Inst. eod.*

XXXI.

Et cum præcedentibus est vel expressa, vel tacita. Illa, quæ verbis ipsius testatoris vel generalibus, vel specialibus exprimitur, (a) Ut si pater duos filios habens furiosos eos invicem simpliciter instituit & substituit: vel specialiter hoc modo: si filius meus in furore, vel alio quovis vitio, (b) impediente testamenti factionem decesserit, substituo ei Titium. (c)

(a) *Trentacinq. c. 2. n. 2. p. 3. Menoch. part. 2. de præsumt. lib. 4. præsumt. 49. n. 2. & est communis.*

(b) *d.*

(b) d. l. Ex facto d. l. humanitatis d. §. quâ ratione Intrigl. q. 21.
n. 4. dummodo vitij alicujus mentionem fecerit.

(c) Hec ex verbis testamenti colligitur, & presuntiva dicitur, ut: si
filius meus heres non erit, Titius heres esto: Petr. Gregor. Tholosan. c. 24.
n. 10, d. l. Jam hoc Jure de vulg. & pupill. substit.

XXXII.

Hoc modo substituunt non tantum pater, cu-
jus in potestate sunt liberi mente capti vel amen-
tes, verum etiam mater, avia, & avus maternus. (a)
Etiam vidua ad secunda vota transiens, (b) quam-
vis legibus bonorum administratio ipsi hoc casu
adempta videatur. (c)

(a) dd. text. l. 51. de V. S. & ibi Gadd. l. 10. §. 5. de in jus vocand.
Nam æqua humanitas & pietas matri est erga liberos ut in patre l. furiose
4. de curat. furios.

(b) Quia textus sunt generales, & est comm. sententia Trentacinq.
p. 3. c. 3. vers. ex prædictis, nec usquam reperitur, quod mater talis privata
sit facultate substituendi, Et hic imprimis favorem pupillorum consideramus
ut supr. dictum.

(c) l. Lex quæ 22. §. pen. C. de admin. tutor. l. 1. C. ubi pupill. educ.
deb. Donell. 6. comm. c. 27. Non autem filius patri furioso substituit. In-
trigl. q. 7. cent. 2.

XXXIII.

Substitui potest mente captis furiosis (a) pro-
digis (b) etiam naturalibus (c) nec non legitimis
tantum (d) etiam legitimatis (e) non tamen spu-
riis (f) nec phreneticis. (g)

(a) dd. text.

(b) Quia furiosis similes l. his qui 12. §. ult. de tutor. & curatoribus
datis ab his l. qui neque 8. §. 1. de rebus eorum qui sub tutel. vel cura sunt.

C 2

(c) Quia

(c) Quia liberorum nomine continentur d. l. ex facto 17. §. si quis rogatus ad SC. Trebell. l. 7. §. 1. C. de curatore furiosi.

(d) l. si arrogator 22. de adopt. l. sed si plures 10. §. In arrogato 6. hinc.

(e) Quia nusquam prohibitum Benedict. Capra. n. 24. post Bartolum.

(f) Auth. Ex complexu C. de incest. nupt. §. fin. N. quib. mod. natur. effic. sui. 89.

(g) l. 1. §. apud Vivianum 9. de adilit. edicto. d. l. humanitatis.

XXXIV.

Qui hebetioris sunt sensus naturâ, (a) illis non substituitur: An autem qui ob morbum, vitiumvé simplices & stolidi facti hoc privilegio gaudent, iudicis arbitrio relinquimus. (b) Item cum mutis & surdis simul ita morbo factis, dummodò signis mentem suam declarare queant, aliâ ratione provisum sit illis non potest substitui. (c) Ita verò natis hoc substitutionis beneficium prodesse verius existimamus. (d)

(a) l. 1. & tt. de minorib. Gadd. de contrah. stipulat.

(b) Anton. Tessor. decis. 92. Intrigl. cent. 2. q. 20.

(c) l. Discretis 10. C. Qui testam. fac. poss. §. Item surdus 3. I. Quib. non est permiss. fac. testam. Quod olim à principe impetrabatur l. Qui in potestate 6. §. 1. l. seq. l. filiusfamilias 16. Qui testam. fac. poss. l. Ex facto 43. hinc.

(d) arg. d. l. discretis 10. C. Qui testam. fac. poss. & equitate suadente l. 2. §. 5. in fin. de aqua pluv. arc. Trentac. p. 3. c. 4. n. 7. Intrigl. cent. 2. q. 16. & 17.

XXXV.

Substitui possunt liberis mente captis vel fratres, si adsint (a) non autem necesse est, ut omnes substituantur, sed sufficit substituere unum, idque
ex in-

ex inductu Justiniani (b) si verba ejus ponderamus: quamvis communis sit in contrarium, nec non æquitate nitatur. (c) Ex qua causa quoque pater matrem filij & alios adscendentes præterire nequit (d) hisce deficientibus quicumque alius heres in illorum locum substitui potest (e)

(a) text. in d. l. humanitatis 9. & §. qua ratione.

(b) d. l. humanitatis ibi: unum vel ceteros vel omnes. Neq; enim filij de patris testamento conqueri possunt, quia sibi ipsi non fecit testamentum, sed avus l. Papinianus 8. §. sed nec 5. de inoffic. testam.

(c) Trentacinq. c. 5. n. 5. vers. cum igitur l. Gallus 29. §. In omnibus 10. & l. seq. de liber. & posth. l. Ex facto 42. hic, quia testamentum mente capti debet esse eo modo, quo ab eo fieret, si fuisset sanæ mentis, quo casu non est verosimile, quod extraneos præferret fratribus.

(d) per Novell. 115. c. 4. vers. sancimus, & vers. si autem hæc omnia. Et Novell. 118. Nam si fratres substituendi sunt, multò magis mater, quæ indistinctè inofficiosi querelam habet l. nam etsi 15. de inoffic. testam. non autem fratres l. fratres 27. C. eodem.

(e) dd. textibus Duaren. cap. 20. Giphon. in d. l. humanitatis.

XXXVI.

Fit hæc substitutio in omnibus patris & liberorum bonis, undecunque quæsitis (a) etiamsi fiat in minori parte, quàm est legitima. (b) Et sicut in re aliena non potest constitui legitima; (c) ita nec substitutio valet.

(a) arg. l. Jus nostrum de regulis Juris.

(b) Nam læsus habet actionem ad supplementum legitima ex l. omnimodò 30. C. de inoffic. testam. Intrigl. q. 18.

(c) l. scimus 36. in fin. pr. cum Auth. Novissima C. de inoffic. testam. Hartm. Pistor. q. 38. n. 26. in feud. Quetta Consilio 90. Geil. 2. observ. 119. n. 15. Et electio debetur liberis ex qua parte bonorum velint petere legitimam,

*quia creditoris loco sunt l. Papinianus §. 9. de inoffic. testamento. l. non
amplius 26. §. fin. cum l. seq. de legat. 1. dissent. Trentacinq. c. 5. n. 4.*

XXXVII.

Forma quasi pupillaris substitutionis eadem
ferè est cum pupillari. Et pater primùm sibi ipsi
testamentum facit, deinde liberos mente captos
instituit, (a) postea illis substituit (b) requiritur
etiam ut dementia duret vel tempore testamenti,
vel mortis testatoris (c) & ut fiat in testamento, (d)

(a) *d. l. humanitatis 9.*

(b) *text. in pr. & §. 5. l. de exhered. liberor. l. 30. de liberis & posth.
Nov. 115. c. 3. Exheredationi hic nullus potest esse locus, quia ut in praece-
denti §. dictum, Legitima liberis si non in totum, attamen pro parte relin-
quenda d. l. humanitatis. Et accessorium debet habere fundamentum in
principali c. accessorium de R. I. in. 6. l. Ex pupillari 44. hic.*

(c) *Ut in pupillari de atate dictum est. Intrigl. q. 15. cent. 2. Quia
hic nihil immutatum.*

(d) *In codicillis enim ut supr. traditum, hæc substitutio fieri nequit.
Bald. in d. l. humanitatis. Benedict. Capra in regul. & tr. hic n. 63.*

XXXVIII.

Effectus hujus substitutionis convenit cum
præcedentibus, quod sit delatio hereditatis insti-
tuti in substitutum (a) quando mente capti in
amentia moriuntur (b) habitâ tamen etiam diffe-
rentiâ arrogatorum (c) & adoptivorum liberorum.
Et hæc tacita sub vulgari expressa continetur (d)
& contra, (e) etiam in pupillari vera. Imò expressa
quasi pupillaris tacitam vulgarem complectitur,
nisi

nisi alia mens testatoris appareat, vel ex particula
taxativa, vel simili. (f)

(a) d. l. humanitatis 9. d. §. qua ratione cum seq.

(b) Non tantum patris, sed etiam pupilli quæ aliunde ad illum per-
venerunt l. sed si plures 10. §. ad substitutos hic. Bened. Capra. n. 119.

(c) d. l. sed si plures §. In arrogato hic.

(d) arg. l. Qui neq. 8. §. 1. l. si prædia 11. de rebus eorum qui sub tu-
tela vel cur. Menoch. præsumt. 41. n. 2. p. 2. lib. 4. Et est comm. Intrigl. q. 22.

(e) arg. d. l. Fam hoc Jure h. t. Intrigl. q. 23.

(f) Menoch. lib. 4. p. 2. præsumt. 44. n. 1. Intrigl. q. 38. Trentacinq.
6. 2. n. 5.

XXXIX.

Quid si parentis testamentum concurrat cum
matris Elogio; cujus ultima voluntas sit præferen-
da quæritur? Dd. distinguunt inter bona, ut ma-
ternum in maternis bonis obtineat: paternum in
paternis valeat. (a) Quoniam verò patris volun-
tas in omnibus (b) præponderat, ita etiam eam in
hoc casu prævalere putamus.

(a) Intrigl. q. 42. Alij præventionem obtinere putant, alij alius di-
stinctionibus utuntur.

(b) Sic in nuptiis potius patris consensus, quam matris consideratur.
l. In Conjunctione l. Vidua C. de nuptiis l. 1. & 2. de Confirmand. tutor.
Quia lex magis confidit de patre pro filio, quàm de matre Didac. à spino in
specul. Testam. gl. principali. 25. n. 6. Leonius. n. 54, 55. Intrigl. q. 43.

XL.

Finitur quoque hæc iisdem ferè modis, qui-
bus pupillaris. Et quidem vel ab initio statim,
quando testamentum ex defectu solennium nul-
lum est (a) vel ex post facto, si defecit ex persona
testan-

testantis per capitis diminutionem (b) vel aliâ ratione rumpitur, vel ex defectu testamenti. Item ex defectu ipsius substitutionis, vel conditionis ipsi substitutioni adjectæ, cessante dementiâ, furore, vel si prodigus ad sanam mentem revertatur (c) vel nullus ex testamento heres extet, vel mente captus liberos legitimos procreaverit, (d) vel denique frater supervenerit. (e)

(a) *Dictum supr.*

(b) *l. posthumi 3. de injusto rupto. irrit. l. si quis filio 6. §. irritum d. t. l. si nemo 181. de R. Jur. l. 12. hic.*

(c) *d. l. humanitatis d. §. quâ ratione. d. l. Ex facto ff. eod. si verò receptâ sanitate postea rursus eodem vitio conflictari cœperit, reconvalescit substitutio Trentacinq. p. 3. c. 6.*

(d) *Ut in furioso qui ante furorem uxorem habuit l. patre furioso 8. de his qui sui vel alieni Juris sunt.*

(e) *per text. nostros d. l. humanitatis 9. & d. §. Quâ ratione Inst. eodem.*

F I N I S.



155254

ULB Halle


3

006 685 17X



R VD 17





2
P
M



Adfulgente Iustitiæ Sole
De Substitutionibus,

Disputatio Secunda

PUPILLAREM Continens

Quam

Dn. LEOPOLDVS HAKEL-
MAN I.U.D. & Facultatis Iuridicæ
Ordinarius, &c.

Ad
Diem Februarij 20.

Anniversariæ disputationis loco proponit,

RESPONDENTE

SIMONE IHON Lipsiense.

In Acroaterio Ictorum hora 7. matutin. & seqq.



L I P S I Æ

Exscribebat LAURENTIUS COBER.

ANNO

M. DC. XVII.

